dbl
30123/p

I. N. I.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CORALLIORVM RVBRORVM TINCTVRIS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM RELIQVA

AVCTORITATE ET CONSENSV

GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE

IN ALMA SALANA

PRAESIDE

HERM. FRIDER. TEICHMEYERO

PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE CHIRVRGIAE ET BOTANICES P. P. O.
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVL.
ET ARCHIATRO ACAD. NATVR. CVRIOS. IMPERIAL. LEOPOLD.
CAROLINAE ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SODALI

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO

PRO LICENTIA

DOCTORIS GRADVM INSIGNIA ET PRIVILEGIA
MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR

CHRISTIANVS IACOBI

ERFORDIENSIS

I

AD DIEM MAII M DCC XXXIV
HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS

IENAE, LITTERIS HORNIANIS

VIRO
PRAESTANTISSIMO
NEC NON ARTIS
SVAE PERITISSIMO EXERCITATISSIMOQVE
DOMINO
IOANNI CHRISTIANO
IACOBI
SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINARIENSIS PHARMACOPOLAE AVLICO, AGNATO SVO
HONORATISSIMO,
SPECIMEN HOC INAVGVRALE
OB BENEFICIA MAXIMA ET FIDELISSIMAM EDVCATIONEM
EA,
QVA DECET
OBSERVANTIA
OFFERT ET CONSECRAT
AVCTOR ET RESPONDENS.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

I. N. I.

§. I.

COrallium eſt planta imperfecta, durioris & lapideae ſubſtantiae, arbuſculum vel ſuffruticem conſtituens, nata ex proprio ſemine, vegetans ſub aquis marinis atque cum variis corporibus, vt ſcopulis, lignis & conchis cohaerens.

§. II.

Plantae diuiduntur in *perfectas* & *imperfectas.* Plantae *perfectae* ſunt, quae omnes partes plantarum, nempe radicem, truncum, folia, flores & ſemina euidenter poſſident. *Imperfectae* ſunt illae, quae vel nullam, quoad ſtructuram atque colorem, cum reliquis plantis habent conuenientiam, vt fungi; vel in quibus neque flos neque ſemen euidenter apparent:

quo pertinent omnes plantae ſubmarinae, lithophyta, muſci, plantae capillares, iisdemque ſecundum RAIVM affines, vt lunaria, ophiogloſſum, kaligeniculatum.

§. III.

Num corallia vegetabilibus ſint annumeranda, & an ſub aquis, quae vulgaris eſt opinio, prorſus ſint mollia, extra mare vero indureſcant? quaeſtio eſt dudum agitata. Hanc controuerſiam multi & celebres phyſici ac medici pertractarunt. HOFFMANNVS in *claue Schroederi* p. 157. cum BOYLEO non impoſſibile exiſtimat, corallia poſſe ſub aquis eſſe mollia, & hoc quoque probabile ſatis eſſe videtur, quoniam ſunt vegetabilia, quae per circulationem ſuccorum nutriuntur. Verum experientia aliorum, corallia ſub aquis non mollia, ſed potius conſtanter dura eſſe docere videtur. BOCCONIVS, Siculus, qui coralliorum piſcaturae circa Meſſinam adfuit, in libro *Recherches & Obſeruations Naturelles* Ep. 1. & 2. ingenue confeſſus eſt, ſe corallia ſub aquis ſemper dura inueniſſe, exceptis modo ſuperioribus extremitatibus rotundis, in quibus lacteus humor inſtar ſucci eſulae reperiatur. Generoſus Dominus de NICOLO, Eques Maſſilienſis, & in regno Tunetano piſcationis coralliorum praefectus, propria obſeruatione confirmatus quoque aſſerit, corallia ſub aquis eſſe dura. Etenim hic in mare Bizertinum regni illius Tunetani iuuenem, funibus alligatum, ad centum perticas demiſit, ipſique in mandatis dedit, corallium vt euelleret, & inter euellendum curioſe attenteque obſeruaret,

uaret,an molle, durumue eſſet. Qui, vbi rurſus aſcendiſſet, vtraque manu corallium attulerit conſtanterque aſſeruerit, illud non minus in ſuo mari quam ſupra illud durum eſſe.

§. IV.

Quod corallia vel corallus ſit planta, de eoneque dubitarunt veteres neque recentiores. Ipſe OVIDIVS Lib. 4to *Metamorphoſ.* ita cecinit:

Sic & coralum quo primum contigit auras
Tempore dureſcit, mollis fuit HERBA *ſub vndis.*

DIOSCORIDES Κοράλλιον, lithodendron appellauit atque marinum fruticem, qui alto extractus, ſtatim duratur. RAIVS, RIVINVS, TOVRNEFORTIVS atque BOERHAAVIVS, rei herbariae recentioris ſeculi anteſignani, corallia ad plantas retulerunt imperfectas, flore & ſemine carentes, immo ad ſubmarinas, ſiue tales, quae in fundo maris naſcuntur, & vel aquis perpetuo immerguntur, vel ſingulis ſaltim acceſſibus a ſalſedine maris humectantur. An vero tanta altitudine, ſicuti ceraſi noſtrates, creſcant, vt nonnulli ſcripſerunt, vix aſſerere poſſumus. BOERHAAVIVS in *indice plantarum* p. 3. inquit: quod bullula, in apice coralliorum apparens, ſit capſula ſeminalis, ſemine lacteo foeta. GASSENDVS, magnus ille philoſophus, in *vita* PEIRESKII hoc quoque affirmat ſimulque addit, praedictas rotundas extremitates ſemen continere in diuerſis, & vtplurimum ſex, capſulis, ſiue loculamentis aut cellulis exiſtens. De baccis hiſce quoque locutus eſt MATTHIOLVS pag. 955. *commentarii ſui in Dioſcoridem*, vbi inquit: baccae eius

 can-

candidae ſub aqua & molles, exemtae confeſtim durantur, & rubeſcunt, quaſi corna ſatiua, ſpecie atque magnitudine. Nihilominus ſunt non nulli, qui corallia pro vegetabilibus haberi nolunt, quia radicibus foliisque deſtituantur, quibus ad modum plantarum poſſint nutriri. Veruntamen Illuſtris comes de MARSIGLI in *hiſtoria acad. Pariſinae* anni 1710. oſtendit, totam ſubſtantiam plantarum ſubmarinarum repraeſentare radices, quarum ſiphunculi vbique hiantes, ex aquis marinis nutrimenta recipere poſſunt. DN. PRAESES poſſidet arbuſculum corallii rubri, in quo euidenter in baſi radicum veſtigia conſpiciuntur. Vidi quoque apud eundem concham biualuiam, vndique rubicunda tubularia coralloides tectam, nec minus curioſis oſtendit fucum marinum folliculoſum, ſiue quercum marinam, veſiculas glandiformes in foliis habentem, ſicuti eam depinxit exactiſſime CAROLVS CLVSIVS in *hiſtoria plantarum rariorum* Lib. 1. p. 21. Haec planta ex lapide creſcit ſolidiſſimo, in quo miculae minerales euidenter exiſtunt. Fortaſſis tales obſeruationes maioribus noſtris anſam dederunt ſtatuendi, corallia vel ad gemmas vel ad lapides pertinere. Inſuper corallia in fundo maris extrinſecus mucoſa & terrea circumdantur cuticula, quae tamen non pro cortice, plantas alias obducente habenda, ſed potius cruſta eſt, quae ab impuritate aquarum marinarum originem ducit, id quod omnes fere ſcriptores experientia edocti confirmant. Ipſe DN. PRAESES Keratophyta varia marina, ſiue corallina reticulata, ſubſtantiae pellucidae & corneae,

cru-

cruſta cretacea vel calcaria friabili, hinc inde adhuc obducta, inter curioſa ſua conſeruat, curioſisque oſtendit.

§. V.

Locum natalem coralliorum quod attinet, eſt fundus maris, quia in omnibus fere maribus & locis maritimis corallia reperiuntur. Primaria piſcatura coralliorum in regno Tunetano inſtituitur, a menſe Aprilis vſque ad finem Iulii. PLINIVS, de patria coralliorum tractans, inquit: *gignitur quidem in rubro mari, ſed nigrius.* Item in perſico vocatur Iace. Laudatiſſimum in gallico ſinu, & in Siculo circa Helian ac Drepanum. Naſcitur & ante Neapolim. DIOSCORIDES refert, plurimum inueniri ad Syracuſas in promontorio, cui Pachyno nomen eſt, laudatiſſimum rubens, colore antherici aut ſandycis ſaturato. SERAPIO, reperiri quoque in quibusdam montibus memorat. Quod quidem non de ſummo montium vertice accipiendum, ſed de ea parte, quam maris vnda alluit. Inſuper in vniuerſo Oceano Indico orientali circa Bantam & Moluccano Archipelago Lithodendra atque corallia quam plurima vegetant, quae a Malaiianis nomine ſemi-arabico *Acarbabar* & *Calbabar*, quod lignum aut radicem marinam notat, vocantur, vide deſcriptionem Lithodendrorum Amboinenſium Domini RVMPHII, quae proſtat in D. D. VALENTINI *Muſeo Muſeorum* parte 2da pag. 107. Maximam vero partem e mari mediterraneo proueniunt.

§. VI.

§. VI.

Species coralliorum variae dantur, quas videbis in citato *plantarum indice* BOERHAAVII, RAII *Synopſi methodica plantarum*, TOVRNEFORTII *inſtitut. Rei herb.* D. D. MELTZERI Diſſ. *de Coralliis* Regiomont. 1727. habita, & D. D. GANSII *coralliorum hiſtoria*, quo & ipſa corallina, anthelmintica illa officinalia, pertinent.

§. VII.

Quod colorem attinet, ſunt potiſſimum vel *nigra*, a DIOSCORIDE *antipathes* vocata; vel *alba*; vel *rubra*. Ab omnibus autem ſcriptoribus rutilantia, & cinnabaris natiuae colore ſuperbientia, commendantur, caeteriſque omnibus praeferuntur, quoniam magis ſulphurea eſſe praeſumuntur. Academiae Lipſienſis quondam celebre ornamentum, magnus & beatus ETTMVLLERVS, de natura coralliorum agens, ea lapides vocat, in fruticis ſpeciem concretos, & ſic corallia ad mineralium & ſaxorum claſſem retulit. Statuit enim. 1) Corallia generari ex ſucco quodam minerali ſalino-nitroſo, pinguedine & viſcoſitate quadam ſulphurea impraegnato. Hunc ſuccum, 2) vi ſubterranei ignis per poros fundi maris erumpentem, vbi attigerit marinas aquas, protinus, tum ab aquarum frigore, tum ab earum ſalſedine, coagulari, ac concretionis futurae prima agere fundamenta. 3) Elabente vero & exſpirante nouo ſucco, coagulatam hanc materiem ſenſim ſenſimque diſtendi atque in altum eleuari. 4) Nouo nouoque corpuſculorum ſulphureo-ſalinorum affluxu,

non

non tantum condenſari, ſed vlterius quoque aſcendendo ob copiam ſucci turgentem hinc inde in ramos erumpi. 5) Ex nouo appulſo ſucco primum verruculas * quaſi fieri, quas recens ſalinus liquor, vlterius extendendo, in ſurculorum, ex ramulis enatorum, ſpeciem expellit. 6) Si abundantia nimia ſucci coralliorum arbuſculum diſrumpit, vel ex ramuli extremitate ſuccus exſudat, exſtillantem liquorem ſpermatis naturam aſſumere poſſe, ſicque 7) nouam corallii propaginem fundere, & hoc ſperma, quamcunque attigerit rem, tanquam fertile ſolum oſculando in arbuſtulae ſpeciem ſimiliter ſuccreſcere, probabile eſſe.

§. VIII.

Auctor hic egregius in theoria de origine coralliorum, quo ſe vertat, ſaneneſcit: Etenim ſperma, verrucas, prima vegetabilium ſtamina, motum in ſuccis, ſuccumque aſcendentem admittit, hincque nihil aliud, quam ea, quae ad plantarum oeconomiam pertinent, phoenomena indicauit. Interim tamen ſimul ſtatuere videtur, corallia formari haud ſecus ac ſalia, quae inter cryſtalliſandum dum ſolideſcunt, nunc hanc, nunc aliam induunt figuram, vel formari corallia in vndis, quemadmodum in liquidis creſcunt atque formantur *arbores Dianae*, ſeu

* Tales verruculae conſpiciuntur in lapide §. 4. indicato, ex quo quercus marina excreuit. Hae verruculae ſeminum in plantis marinis exiſtentiam euidenter confirmant.

Luna vegetabilis, ex argento ſoluto atque mercurio, quae actio tamen nihil aliud eſt, quam amalgamationis ſpecies. Sed quoniam id, quod per externam particularum vnionem atque fere per concurſum creſcit fatuitum, nunquam conſtantem figuram obtinet atque ſtructuram, ſicuti hoc in omnibus mineralibus & metallis, in terrae viſceribus coagulatis, obſeruatur; contra corallia ſemper determinatam figuram atque ſtructuram oſtendunt: ideo corallia ſunt vegetabilia, quae, vti antea oſtenſum fuit, ex ſemine creſcunt atque ex tubulis conſtant, in quibus perpetua fluidorum circulatio peragitur. Ex phyſicis notum eſt, regnum animale, vegetabile & minerale, reſpectu principiorum mixtionis quidem, inter ſe in tantum conuenire, ratione principii agentis vero maxime differre. In Regno animali & vegetabili principium eſt informans, ſiue principium vitae, quod in ouulis ſtamina explanat, liquida certo modo commouet & maſſam alibilem determinat. Regnum minerale contra omni actiuo vel vitali principio deſtituitur; ideo differt quam maxime vegetatio mineralis & vegetabilis. Vide diſſert. *de auro vegetabili pannoniae* eruditiſſimi D.D. HVBERI, ſub Praeſidio Illuſtris Dn. conſil. aul. ALBERTI Halae habitam 1733. & celeberrimi HENCKELII *Floram ſaturnizantem*.

§. IX.

Eſt ideo corallium rubrum vegetabile, conſtans potiſſimum ex duplici principio, corpore nempe terreo, ſeu potius lapidoſo, & ſucco vegetabili ſeu tinctura, quae fundamentalia ſunt coralliorum principia.

La-

Lapidoſum principium ſuppeditat magiſterium, quod ſi tinctura ab eo exacte ſeparata eſt, candidum ſubtiliſſimum inpalpabilem & quaſi cretaceum conſtituit puluerem, tinctura vero menſtruum intrauit. BECHERVS in *phyſica ſubterranea* pag. 121. lapides diſtinguit in fluentes ſiue vitreſcibiles & in non fluentes ſiue tales, qui in calcem mutantur. Corallia vehementi calcinatione non facile in vitrum, ſed potius in calcem conuertuntur, ideo merito terra coralliorum calcaria dicenda: & ſi quis BECHERVM ſequitur, terram phlogiſticam ſiue ſulphuream, rubrorum coralliorum vocabit tincturam, quoniam ſal ammoniacum, cum coralliis ſublimatum, illam terram phlogiſticam ſiue tincturam in altum tollit, ex quibus floribus tinctis deinceps nonnulli ſibi tincturam promittunt.

§. X.

Nos cum aliis libenter in coralliis, vtpote vegetabilibus, concedimus, partes quaſdam ſpirituoſas ſalino-volatiles, imo fixas, nec negamus oleoſum ſulphureum & tincturale principium illis ineſſe; aſt difficilis labor arduumque negotium eſt, iam indicata principia ſeorſim & ſeparatim ex coralliis impetrare: Etenim ſi corallia, in puluerem redacta, vaſi vitreo retorto in arena poſito indantur, inde deſtillando aqua proueniet pauca, ſaporis atque odoris omnis fere expers, teſte GANSIO *cap. 4to. pag. 54.* Alii forti deſtillatione impetrarunt liquidum tantiſper acidulum. IOH. FRANCISC. VIGANVS, Veronenſis, corallia trita per retortam igne violentiſſimo per qua-

draginta horas continuato deſtillauit & in recipiente inuenit liquorem rubrum atque vnctuoſum, in parua tamen quantitate, hunc liquorem lento balnei calore ad conſiſtentiam mellis redegit, & addendo alcohol vini tincturam rubicundam extraxit, quam veram vocat, reliquosque autem modos parandi tincturas reiicit, ſicuti hoc teſtatur in *medulla Chymica* pag. 23. & 24. Hic autor ideo modo ſuam tincturam laudat, aliasque omnes damnat. CROLLIVS in *baſilica chimica* nunquam veram vidiſſe coralliorum tincturam; fatetur, & KVNKELIVS *laboratorio chimico* pag. 691. quoque omnem exiſtentiam tincturae coralliorum audacter negat, coloresque coralliorum luſus naturae vocat.

§. XI.

Quam difficile itaque ſit, ex coralliis ſolis & ſibi relictis vi deſtillationis aliquid impetrare, quod vel tincturam ipſam ſuppeditare vel menſtruum ad praeparandam tincturam conſtituere poſſet, iam adducta docent. Corallia, dum nutriuntur aqua marina, praeter terram calcariam, ſalina & oleoſa principia ab aqua marina impetrarunt: verum per analyſin chimicam principia hujus concreti, non vti aliorum vegetabilium, tam facile a ſe inuicem ſeparantur ob arctiſſimum firmiſſimumque, quem principia inter ſe acquiſiuerunt, nexum. Hoc omni tempore obſeruarunt curioſi chemici, propterea alii ad tincturam impetrandam corallia diuerſimode adaptarunt; alii contra diuerſa menſtrua in diuerſis regnis quaeſiuerunt. Ii, qui ad tincturam corallia praeparabant atque

que adaptabant, cum ſulphure corallia calcinabant, & poſtea cum ſpiritu vini tincturam extrahere ſtudebant: alii ſuccinum cum coralliis deſtillabant, & in deſtillato rubro oleo tincturam quaerebant, aſt prior tinctura a ſulphure, poſterior magis a ſuccino natales deriuat. Ii, qui nitrum cum coralliis fundunt, & ex hac maſſa contuſa per ſpiritum vini tincturam ſibi promittunt, falluntur, ſicuti illi, qui corallia calcinata cum nitro & adiecto ſulphure in igne fundendo tractant. Nam haec tinctura nihil de coralliis participat, ſed colorem, quem oſtendit, a ſulphure & nitro fixato potius impetrauit. Per calcinationem tincturalis maſſa in coralliis comburitur. Ideo omnes reliquas adhuc ſuperſtites & ab autoribus hinc inde ex coralliis calcinatis paratas atque laudatas tincturas, tanquam falſas & putatitias lubens ſilentio praetereo. GANSIVS in ſua *Corallographia* p. 55. nodum gordium ſoluiſſe & principiorum, in coralliis exiſtentium, extricandi modum inveniſſe gloriatur, ſequentem in modum procedendo; Nempe corallia in aceto diſſoluere, ſolutionem deinceps deſtillare iubet, & ita ſpiritum ardentem & inflammabilem, oleum & ſal coralliorum certiſſime promittit. Ad ſtabiliendam ſuam ſententiam prouocat ad QVERCETANVM, qui multum ſalis nitroſi vel nitro-ſulphurei coralliis ineſſe docuit. Verum hi auctores per eiusmodi proceſſus decepti ſunt, quia id, quod in laboribus inuenerunt & impetrarunt, aceto potius quam coralliis tribuendum. Eſt in aceto ſpiritus inflammabilis, qualis quoque ille eſt, qui ſpiritus ar-

dens ſaturni dicitur, & a ſaccharo ſaturni deſtillatur. Eſt in aceto oleum, quod per ignem empyreumaticum redditum, rubedinem induit, quae rubedo vero non a coralliis originem traxit. Hinc tinctura coralliorum in hoc oleo non quaerenda, & ſpiritus, qui in hac deſtillatione prodit, acidiuſculus ſpiritus aceti eſt, non vero coralliorum. Denique ſal illud reſiduum, ex capite mortuo ſeparatum, natum eſt ex lapidoſa coralliorum & acida aceti maſſa, ideo ad media ſiue enixa referendum.

§. XII.

Chemia confirmat, tincturam eſſe portionem corporeae illius ſubſtantiae, ex qua tinctura conuenienti atque idoneo menſtruo extrahitur. Haec portio eſt ſalino-ſulphurea, quia omnis tinctura a ſulphure maxime dependet, ſulphur autem ſale mediante diſſoluitur. Eſt ideo tinctura coralliorum portio ſulphurea coralliorum rubrorum, ſeparata à ſuo terreo principio. Dico ſeparata a ſuo terreo principio, quia is, qui totum corpus coralliorum diſſoluit, ſolutionem quidem, non vero extractionem vel tincturam impetrabit. Si tinctura ex quadam ſubſtantia corporea paratur, inſtituitur ſolutio imperfecta, ſiue extractio & ſeparatio certae portionis corporis, ideo in tincturae coralliorum praeparatione corpus album & purpureo ſuo ornatu ſpoliatum poſt extractionem remanere debet.

§. XIII.

Ad recludenda, extrahenda & ſoluenda coralliorum

orum rubrorum corpora chemici varia excogitarunt menſtrua, ſiue aquas diſſoluentes, quo referuntur acida, & interea ſpiritus acidi minerales. ETTMÜLLERVS ipſum vniuerſale menſtruum cum aliis commendat, quod mercurium benedictum, Hermetis auiculam, acetum philoſophorum acerrimum vocant, ſed, quid illud ſit, non perſpicue ſatis indicatur. Secundum noſtram ſententiam acetum acerrimum nihil aliud eſt, quam oleum vitrioli, exactiſſime rectificatum, & ita album redditum, ad inſtar aquae. Hoc liquidum ſua corroſiuitate, cauſticitate & ignea violentia omnes reliquos ſpiritus acidos minerales ſuperat, ita, vt fortius acidum in rerum natura non detur. GANSIVS, cap. 5. de ſolutione coralliorum & eorum menſtruis agens, ſpiritum aeruginis commendat, qui tamen nihil aliud eſt, quam ſpiritus vitrioli veneris, volatile metallum ſimul in ſe continens, ergo parum differt ab oleo vitrioli. Hic auctor quidem primum viride aeris commune aceto diſſoluit deſtillato, ſolutum filtrando a faecibus mundificat, ex limpida ſolutione concentrata viride aeris cryſtallinum praeparat; cryſtallosque denuo ſpiritu vini mundificat &, reiectis faecibus ex clarificata ſolutione, iterum cryſtallos conficit, ita quidem miteſcit quodammodo vitriolum veneris, ſed ſi ex hiſce cryſtallis, validiore igne adhibito, ſpiritus deſtillatur, ille ad naturam olei vitrioli penitus accedit. PENOTVS recipere iubet vitriolum, ad rubedinem calcinatum, illudque vrina hominis ſani conſpergit,

dein-

deinceps exſiccat, hancque imbibitionem, irrorationem, humectationem & exſiccationem ter quaterue repetit, poſteaque vitriolum deſtillando, menſtruum promittit conueniens ad ſoluenda corallia rubra. Verum hoc menſtruum etiam nil niſi ſpiritus vitrioli eſt, tantiſper correctus per alcali vrinoſum, in urina exiſtens. Fortaſſis PENOTVS, vtpote exercitatus chemicus, dum hoc menſtruum laudat, illud ex alio prorſus indicauit conſilio, quia vrina eiusque ſpiritus primaria clauis eſt ad reſeranda interiora vitrioli. IOHANNES THOLDENIVS, in *Haligraphia* ſua, aquam mercurialem in hunc finem elaborauit. Ex mercurio enim ſublimato contrito in cella poſito (fortaſſis in patina, vel plumbea vel ſtannea, vti alias fieri ſolet, contento) oleum per deliquium praeparat, quod filtratum, & a faecibus liberatum recipit ad libram j. vitrioli autem libras ij. haec mixta deſtillando conuertit in aquam fortem. In hoc menſtruo, per cucurbitam rectificato, corallia diſſoluit. Alii ſpiritum ſalis ſtriatum, & a phlegmate ſeparatum, in phiolam includunt, & per menſes duos vel tres digerunt. Poſtea hunc, vti chemici loquuntur, putrefactum ſpiritum ſalis cum duplo ſpiritus vini rectificatiſſimi deſtillando coniungunt, ſpiritum ſalis dulcem praeparant, eumque ad extrahendam coralliorum tincturam impendunt. Hic ſpiritus ſane non contemnendus eſt. Etenim ipſe BASILIVS VALENTINVS per ſpiritus ſalis dulces tincturas ſolis ex calcibus ſolis exaltatis extrahere iubet. Verum, cum omnia acida mineralia, quocunque modo

prae-

praeparata ſint, totum corpus coralliorum diſſoluant, non vero coralliorum tincturam tantum ſegregent, non poſſumus ſpiritus minerales laudare, vt menſtrua in hoc negotio idonea. Ipſe ANDREAS LIBAVIVS, omnes aquas minerales corrodentes ſoluendis coralliis, variis rationibus inductus, non temere adhibendas eſſe, docuit.

§. XIV.

Alterum genus menſtruorum ad parandas tincturas coralliorum, quod deſumitur ex regno vegetabili, ſunt aceta. Aceta merito vocantur ſpiritus acidi, ex corporibus regni vegetabilis parati, quo pertinent ſpiritus mannae, ſacchari atque mellis. Verum equidem eſt, mel colligi ab apibus, & ideo a nonnullis ad regnum animale referri, ſed, ſi ſpectes originem, nihil aliud eſt, quam ſuccus vegetabilis: Potiſſimum cum, quod in chemicis ſuppeditat mel, a ſaccharo ſimul impetretur. Etenim, ſi haec bina aqua ſoluuntur; & moderato calore fermentantur, impetratur vinum, & per deſtillationem ſpiritus vini, per diutius continuatam fermentationem mutantur in acetum. Si vero cum terra bolari vel lutoſa aut argillacea miſcentur, & per retortam terream igne aperto deſtillantur, prodit ſpiritus valde acidus, fere cum ſpiritu ſalis conueniens. Caeterum ſpiritus vegetabiles acidos e regno minerali originem ducere, perſpicue ſatis oſtendunt auctor *catenae aureae Homeri*, & HENCKELIVS *in flora ſaturnizante*. Spiritus, qui ex ſalibus eſſentialibus plantarum deſtillantur & ad ſolutiones coralliorum adhibentur, conuenientiam

 ha-

habent cum ſpiritu tartari; ideoque ſunt aciduli & vrinoſum quid in ſe continent. Laudantur ſpiritus ſalis eſſentialis rutae, paeoniae, fraxini, &c. a GANSIO cap. VIII. Impenduntur quoque in hunc finem ſpiritus lignorum, ex ſummitatibus & conis alni, ligno iuniperi, buxi, quercus, fraxini, & in ſpecie Guaiaci ſiue ſancti, deſtillati. Repletur nempe retorta terrea ſarmentis, ſegmentis & raſuris lignorum, atque in furno reuerberii igne immediato deſtillantur, ita acquiritur oleum empyreumaticum & ſpiritus acidus, qui, ab oleo liberatus ac rectificatus, acidulum conſtituit menſtruum. B. & Illuſt. noſter WEDELIVS tincturam coralliorum rubrorum eam praefert, quae cum ſpiritu lignorum elaboratur. Similis ſpiritus impetratur, ſi ruta, tanacetum &c. aliaue herba eodem modo deſtillatur. Hinc, qui ſibi promittit ſpecificam tincturam coralliorum antepilepticam, anthelminticam, &c. eundem poteſt inſtituere proceſſum.

§. XV.

Praeterea quoque aceta vini commendantur, tum ſimplex, tum acuatum; acuitur autem addendo ſal commune vel ſpiritum ſalis, haecque coniungendo deſtillatione & cohobatione mediante. Simili modo non nulli praeparant acetum therebinthinatum, illudque, vt ſingulare menſtruum, ſoluendis coralliis laudant. Miſcent nempe aequales partes therebinthinae atque aceti, hancque mixturam igne arenae per retortam in oleum & ſpiritum conuertunt,

ſpi-

ſpiritum ab oleo ſeparatum rectificando mundificant. Eſt in therebinthina acidum, cuius praeſentiam confirmat odor. Formicae maiales, reſina ſiue therebinthina ſicca hiemali tempore nutritae, vere appropinquante ideo odorem ex ſe diffundunt acidum volatilem, & ſpiritum acido-volatilem ſuppeditant, ſi cum ſpiritu vini deſtillantur, qui notiſſimus formicarum ſpiritus eſt, ex quo deinceps aqua illa magnanimitatis officinarum paratur.

§. XVI.

Reſtant nunc ſucci, vt berberum, limonum, malorum citriorum, aliique aciduli, qui certe optima conſtituunt menſtrua, quia coralliorum corpora ſegregant in bina illa principia fundamentalia, ſcilicet in magiſterium album atque in tincturam. Tinctura coralliorum rubrorum vera colorem quoque coralliorum proprium, non vero alienum continere debet. Ideo multi dubitarunt, an vnquam exſtiterit vera coralliorum tinctura, quia pleraque menſtrua ſibi relicta absque omni additione rubedinem, digeſtione mediante, induunt. Qui ſuccum citri limpidiſſimum, ad pelluciditatem fere aquae depuratum, coralliis affundit, mox videbit tincturam. Nos recepimus poma citri matura, nunc ex Portugallia, nunc ex Italia allata; ſuccum ex horum pulpa expreſſum filtrando ita depurauimus, vt ad inſtar aquae limpidae apparuerit. Hunc ſuccum acidiuſculum, in concha porcellanea ſucceſſiue puluere coralliorum rubrorum ſubtili mixtum, agitauimus ſtilo vitreo, & ob-

ſeruauimus notabilem efferueſcentiam, dum acidum citri, poros ſubſtantiae coralliorum rubrorum penetrans, cohaeſionem particularum minimarum auferebat, & a ſingulis maſſulis tincturam ſeparabat, ſuccus autem exiguo temporis ſpatio nunc flauedinem, poſteaque vero rubedinem ſatis elegantem induebat. Spirauit in hoc labore fragrantiſſimus odor, acidus ſapor euanuit, & tinctura ſaporem gratiſſimum, dulcem, & fere cum lactis animalium ſapore conuenientem, obtinuit. Coralliorum rubrorum pars reſidua conſtituebat magiſterium.

§. XVII.

Tincturam, ſola extractione ita paratam, a magiſterio decantatione & filtratione ſeparauimus, eamque leni calore balnei a ſuperfluo ſuo humido aquoſo liberauimus, quae ſic concentrata ſuauiſſimi odoris eſt. In hoc labore extractio coralliorum rubrorum vera, verà & realis coloris ſeparatio deprehenditur, quia magiſterium relinquitur terreum, candidiſſimum, impalpabile & omni colore natiuo exutum. Qui omnem humiditatem in balneo ſegregat, ille tincturam in mellaginem conuertit atque extractum. Poteſt mellago haecce fragrantiſſimo ſpiritu vinoſo tantum diſſolui, vel menſtruum componi ex ſpiritus cornu cerui, rectificati & ab omni oleo liberati, parte vna, & ſpiritus corticum citri partibus ſex; vel loco huius recipi *Offa* PARACELSI, compoſita ex ſpiritu vrinae atque vini; vel in vſum vocari ſpiritus ita dictus ſalis ammoniaci dulcis ſiue vinoſus.

§. XVIII.

§. XVIII.

Placuit celeberrimis commercii litterarii Norici Doctoribus, Dno Praeſidi transmittere drachmas duas tincturae coralliorum, de qua ſuperiori anno mentio facta fuit. Hanc inuenimus 1) ſaturate rubentem & ad flauedinem quodammodo inclinantem, ſuauisſimi odoris & ſaporis. 2) Si haec tinctura in cochleari argenteo moderato igne euaporatur, mutatur ea in extractum quoddam gummoſum, inter euaporandum odor circa finem percipitur fere acetoſus. 3) Gummoſum extractum illico ab aqua affuſa pleniſſime diſſoluitur, nec magiſterium quoddam relinquitur. 4) Si limpidiſſimum oleum tartari per deliquium ad guttas 15. miſcetur cum 200. guttulis aquae, & ita diluitur, ac guttae 30. huius tincturae adduntur, mixtura illico turbida redditur, praecipitatio oritur atque magiſterium ſeparatur ex albo flaueſcens, ſupernatante tamen adhuc tinctura diluta rutilante. Concludere itaque poſſumus, artificem communicaſſe 1) reuera tincturam quandam coralliorum, quia magiſterium hoc confirmat, per alcali tartari praecipitatum. 2) Tincturam hanc paratam eſſe aceto quodam concentrato, praeſentiam enim aceti confirmauit odor in euaporatione. Talis odor acetoſus vero non percipitur, ſi tinctura coralliorum ſucco citri paratur. Interim ſi ea, quae citri ſucco parata eſt, praecipitatur oleo tartari per deliquium, ſimile ſeſe manifeſtat magiſterium. Artifex ideo ſine dubio ſolutionibus reiteratis mundificauit & liberauit hancce tincturam a crudioribus ter-

 reſtri-

reſtribus particulis, nam extractum gummoſum pleniſſime iterum aquam intrauit. Hoc quoque fit, ſi ſucco citri parata tinctura aliquoties coagulatur & denuo diſſoluitur, nunquam vero tamen, dum coagulatur tinctura coralliorum, citri ſucco parata, ſpirat eiusmodi & tam notabilem odorem acidum. Repraeſentat itaque haec tinctura tranſmiſſa ſal quoddam liquidum ſulphureum ſiue tincturale mediae naturae, natum ex acetoſo menſtruo (fortaſſis ſpiritu aeruginis) & ſubtili coralliorum ſale terraque, quae ſimul in ſe continet gummoſam, ſulphuream & tincturalem horum vegetabilium partem, ſiue, quod idem eſt, esſentiam. Laudanda ideo eſt haec tinctura, & ſine dubio id praeſtabit, quod de eſſentia & virtute coralliorum vnquam expectare poſſumus. Nam ſalia media bene ſaturata, & per reiteratas ſolutiones & coagulationes valde ſolubilia reddita, omnium optima conſtituunt remedia tonica, analeptica, mundificantia, temperantia & aperientia.

§. XIX.

Quid ſane auctor egregius aureae catenae Homeri in ſuo ſcripto vtiliſſimo aliud, quam praeparationes lapidum ſiue ſalium mediorum, in quibus partes ſulphureae tincturales deliteſcunt, docere voluit? Hoc fecit quoque ſecundum iam laudatum auctorem beatus HENSINGIVS, Gieſſenſium Profeſſor. Praeparantur autem eiusmodi ſalia tincturalia ex omnibus regnis, chaotico, vegetabili, animali & minerali leui negotio & paucis ſumtibus. Salia haecce exactiſſime dulcificata, & ab omni crudiori terra mundificata, continent tincturam

& ve-

& veram rerum eſſentiam. Hinc poſſident virtutes aperientes, tem- perantes, analepticas & tonicas, ſecretiones promouent, dum or- gana principio ſalino dulci ſuauiter ſtimulant, viſcoſitates reſol- uunt & ſalia acria auſtera humorum vitalium temperant. Dominus Praeſes ad modum auctoris C. A. H. lapides vegetabiles praepara- uit, & impetrauit ſal rubicundiſſimum ab additis empyreumaticis oleis, quorum empyreuma tamen in coagulationibus reiteratis & adhibito tertio ignis gradu penitus fuit extinctum. Quando vero ſalia modo parauit media abſque addito oleo, in fine ſal quod- dam puriſſimum ſuauiſſimi ſaporis remanſit, ſolubile in omni li- quido, immo in ſpiritu vini rectificatiſſimo. Dum coniunguntur volatilia & fixa; digeſtione, cohobatione & fixatione mediante ap- paret, quod curioſum eſt, ſal, cuius fruſta maiora oſtendunt ſtri- as, ſtriis antimonii exacte ſimiles. Si vlterius mundificatur hoc ſal, apparet vt regulus antimonii ſtellatus, in fruſta confractus; cum elegantiſſimis atque argenteis ſtriis & miculis, leue tamen cor- pus eſt & minus ponderoſum. Et quamuis tale ſal in ſe contineat alcali ſaporis eminentiſſimi & acida ſpirituoſa acerrima, tamen nulla acrimonia in eo deprehenditur, hinc deguſtatum non tan- tum in lingua excitat calorem, ſed & dulcem ſimul ſaporem, cum ſaccharo fere conuenientem, diuque in ore remanentem.

§. XX.

Expoſuimus itaque in antecedentibus ſententiam noſtram de coralliis. Dictum quoque fuit, quid ſtatuendum ſit de eorum tin- cturis, ſiue liquoribus, a rubedine coralliorum tinctis; quomodo ſint adaptanda, & quibusnam menſtruis tinctura extrahenda. In- dicauimus etiam vſum, qui in tonica, analeptica, mundificante & temperante virtute maxime conſiſtit. DEO pro viribus conceſſis ſit laus, honor atque gloria.

F I N I S.

---

p. 16. l. 18. poſt verba: ad libram j. inferatur: addit nitri quoque libram. j.

Res

* * *

RES inter miras, quarum natura creatrix,
Regnum Neptuni numeros & nomina fecit.
Succina quis, conchas, fungos, cochleas, lithophytas,
Innumeram ſobolem non admiretnr, & vltro
Adſpiciat cultu tam verſicolore nitentes?
Queis natura larem vitriis decreuit in vndis.
Aſt hoc coraliis ſolum natura reliquit,
Vt vates loquitur: quo primum contigit auras
Tempore, dureſcit, mollis fuit herba ſub vndis.
Eſt homini nouiſſe datum: licet haut ita clare,
Illa eadem, ni longa dies rerumque magiſtra
Inuentrix claram ferat experientia lucem.
Ars Phoebea docet, quae per veſtigia tanta
Ingreditur, luſtrans terras, maria, aëra, coelum,
Morborum domitrix Medicina, parensque ſalutis;
Namque ſagax animi ſolerti indagine multa
Inſiſtitque aditus omnes ratione pererrans
Inuenit, euentis eadem firmantur & vſu.
Artes has omnes coluiſti rite IACOBI,
Dum de coralii natura diſſeris apte:
Quae ſint virtutes huius, vis atque poteſtas,
Queis valeas variis hominum ſuccurrere morbis.
Non operam ſumes, ſiquid mihi credis, inanem,
Namque TIBI debet, neque ſe debere negabit
Cynthius innumeras tali pro munere grates,
Auſpice TE cuius decus & rediuiua niteſcit
Gloria, mordaci minus hinc obnoxia Momo.
I modo IACOBI, doctrinae ſume corollam,
Quam nunc Illuſtris Praeſes TIBI praebet & offert.
Hanc & longaeuus genitor, pariterque penates,
Hanc conſanguinei pariter gratantur: & ipſe
eXopto, qVo CVnCta tIbI sInt oMIne DeXtro.

accinebat

M. L. W. D.